

tura omnium fuerit ineptissima, vt nulla refutatione egere videatur ex sententia Aristotelis: quia tamē modum eius Simplicius & Themistius describunt, nos eū quoque considerandum proponemus. Censebat Antiphon, circulum quadrari posse, si illius superficies in triangulos rectilineos secaretur, atque ex his omnibus quadrata radix extraheretur, quemadmodum id fieri potest per propositionem vltimam libri secundi Euclidis, monente Campano, his verbis: *Et nota quod per hoc inuenitur latus tetragonum cuiuslibet altera parte longioris & simpliciter omnis figuræ, rectis lineis contentæ, quæcunque fuerit. Quoniam omnē figuram talem in triangulos resoluemus, & cuiuslibet illorum triangulorum inuenimus tetragonum latus, secundum doctrinam istius. Et inuenimus per penultimam primilineam vnā, quæ possit in omnia latera tetragonica inuēta.* Sed propositum Antiphontis facile destruitur: non enim superficies tota circularis potest in triāgulos rectilineos dispesci: adhæc circumferentię partes ad rectas lineas nō possunt congruere, quia punctum etiam minimum circumferentię curuum est, & ad lineam rectam applicari nequit. Simili modo decipiūtur, qui per rotationis epharmosin volunt lineam rectam cum circumferētia comparare: hi enim ponunt, singula puncta lineæ curuæ posse applicari singulis punctis lineæ rectæ, quod absurdū est, & tollit sectionem cōtinui in infinitum, vt suo loco prolixius dicemus. In idem absurdum incidunt, qui